



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Comitvm Par Genere, Potentia, Opibvs, Heroicaq. Virtvte  
inclytum B. Godefridus, Vuestphalus, S. Romaricus,  
Austrasius**

**Serarius, Nikolaus**

**Mogvntiæ**

Cap. XXXII. De aduersarij morte dobet Godefridus, pulchreq[ue] bona  
sempiterna pluris quam caduca omnia monstrat facienda.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-37252**

mat hic homo, me huiusmodi vanitatibus oblectari, sed ego hac vice velut ex necessitate morē ei gerere cōpellor, cum tamen pro cunctis eius, quas ostentat, diuitiis, putris calami precium non commutarem. Paucis deinde illū exhortatus, omnis protinus dilationis impatiens, festinauit ad reditum. Semper enim sæculi tumultus molestissimè ferebat, paradisum æstimans claustrale silentium, & dilectæ sibi solitudinis quietem omnibus Cræsi superponens diuitiis.

## C A P. XXXII.

*De aduersarij morte dolet Godefridus, pulchreg, bona sempiterna pluris quam caduca omnia monstrat facienda.*

**P**ost hæc verò, cum persecutoris sui cognouisset interitum, veræ compassionis affectu, memor clemētie, immemor malitiæ lachrymas fudit,

fudit, per Spiritum in se habitantem,  
sciens ad quæ vel quanta supplicia ta-  
lis anima iusto Dei raperetur iudicio.  
Venerunt quoque sub idem tempus  
nonnulli ex ministris eius dicentes:  
Ecce Domine, qualis & quam ampla  
vobis obuenisset hæreditas, si huius  
mundi gloriam, quam possidere va-  
lebatis, non vltro placuisset abiicere.  
Quos ille indignantis vultu reuerbe-  
rans, Quid est, ait, quod pro magno  
iactatis? Nunquid nõ omnia relictu-  
rus eram, quemadmodũ & iste mo-  
riendo reliquit? Ecce interiit, nec iam  
sumet omnia, neque descendet cum  
eo gloria eius. Scis tu Domine Deus,  
quod etiam si sic futurum præuidis-  
sem, nequaquam ob hoc tamen con-  
uersionis distulisset gratiam, nisi  
forte ad amplius dilatandam lauda-  
tionis tuæ seruitutem. Quid porro  
magnum feci ea relinquendo, quæ i-  
psa naturæ conditione mecum per-  
manere non poterant? Nonne

D omnia

*omnia quæ tempus peragit, quæque ex-  
itus aufert,*

*Vilia sunt breuitate sui?*

Respondete quæso. Num si vo-  
bis opulentissimam ciuitatem vna  
siliqua comparare daretur, sili-  
quam illam tam lucroso commercio  
eligeretis subtrahere, plus diligendo  
siliquam, quam ciuitatem amplissi-  
mam? Ad quod illi cum responden-  
tes dicerent, hoc factu stultissimum:  
Longe, inquit, stolidior, lōgeque ve-  
sanior est, qui quamlibet amplā hu-  
ius mundi substantiam pro regno cœ-  
lesti commutare dissimulat. Quis  
gloriabitur, imò quis meritò de hoc  
remunerari postulabit, si auctori suo  
restituat, quod ab ipso accepit? Et ta-  
men pius Dominus, etiam in huius-  
modi, nobis occasionem salutis con-

stituit, quod sola nimirum di-  
gnatione fit eius inex-  
haustæ boni-  
tatis.